

## 140 HIST. SILVÆ NIGRÆ L. IV.

SECULUM  
IX.  
Cum cella Al-  
ba.  
T. II. Concil.  
Geru. p. 6.  
Acta SS. sec.  
III. P. II.  
p. 341.  
Rev. Franc.  
Orient. T. I.  
Lib. XXIII.  
p. 391.  
Geneal. Habs.  
T. II. P. I.  
p. 62.

XXXII. Iam tunc tradita fuit monasterio Rhenaugienſi *Cella alba*, a flumine eius nominis ſic nuncupata, quod Alpigoviæ pagum interfuit. Alia paſſim his ſeculis occurrunt exempla, quod cellæ complures uni quandoque monaſterio fuerint coniunctæ. In Concilio Aquisgranenſi an. 817. cap. 44. permittitur, ut abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi ſint aut canonici. Et abbas provideat, ne minus de monachis ibi habitare permittat, quam ſex. In Fulradi abbatis monaſterii S. Dionyſii teſtamento apud Mabillonium an. 778. plures eiuſmodi cellæ, & quidem in vicina nobis Alſatia, enumerantur monaſterio S. Dionyſii prope Pariſios unitæ. Cellarum quoque & eccleſiarum novæ eccleſiæ Wirceburgenſi adiunctarum nomina Ludovici Pii an. 823. & Arnulfi regis an. 889. data præcepta conſervarunt, quæ apud Eccardum videri poſſunt. In diploma- te eiuſdem Arnulfi an. 898. III. Id. Oct. pro fundatione eccleſiæ S. Magni ſuper fluvium *Nigra aqua* ita legitur apud Herrgottum: *loca quadam de eadem abbatia (S. Galli) in ſervitium Dei & S. Magni cum conſenſu monachorum ipſi loco conferre placuit.*

Idem in monumentis Rhenaugienſibus finis exprimitur, dum de tradi- tionis *Cellæ albæ* agitur, facta a nobili viro Sigemaro pro ſe & filio ſuo Lui- there, annuente loci hereditario tutore *Wolfene*: cuius rei operæ præ- tium duximus ecſtya n. 1. 2. 3. dare ex veteribus MSS. ſec. circiter XI. ipſoque antiquo chartario Rhenaugienſi, quo refertur instrumentum tradi- tionis, factæ ſub rege Ludovico, anno I. Nicolai P. qui convenit anno 858. Addimus in Cod. probat. item eiuſdem Ludovici Germanici diplo- ma, quo cum aliis poſſeſſionibus eadem *Cella Alba* monaſterio Rhinau- gienſi confirmatur anno regni XXVI.

Quodſi Ludovici Germanici epocham incipias ab anno 833. quo Ger- manix regnum patri extorſit occupavitque, annus regni 26. incidit in annum 859. aut iam computato anno 833. in annum 858. reſpondente indiſtione VI. quæ a menſe Septembri currit, diploma vero datum eſt II. idus Aprilis: quo menſe etiam Nicolaus I. electus eſt pontifex die 24. ut adeo melius ad apicem concordet annus diplomatis cum anno XXVI. regni Ludovici, ſi hoc ad annum 859. reiiciatur. Sed quis tantam diligentiam in computatione illa deſideret? quum & originali- um instrumentorum ſcriptores erroribus obnoxii fuerint, talesque ſe ſæpe demonſtrarint, ut apud rerum peritos compertum eſt. Ipſum au- tem traditionis instrumentum apographum tantum eſt, poſt ſæcula ali- quot exaratum: quod ex verbis ſub confirmatione pro atteſtato quo- dam habendum videtur factæ iam traditionis a Ludovico, quem menſe

Fe,